



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 16. Alimenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. caverit. Presbyter tamen ordinatus non
 A. C. 529. idcirco minus subjectus erit Disciplina
Regulari & Præpositis suis. Si refractarius sit, castigetur, imo & ex Monasterio, sed non sine consensu Episcopi, pelletur. Horis singulis ita opus suum denotat Regula, ut per Hebdomadam tempus Missæ non inveniatur; inde primum est credere, solum Diebus Dominicis Monachos Sacris interfuisse.

§. XVI.

Alimenta.

Quod ad alimenta spectat, S. Benedictus ad quamlibet Refectionem duo pulmentaria cocta concedit, ut, qui ex uno non possit edere, ex altero reficiatur.

6.39. Vox: *Pulmentarium*, qua utitur, proprie legumina, seu grana in pulvem, aut jus densum, redacta significat, quamvis etiam ad omnis generis obsonia elixa extendi possit; at Monachorum paupertas credere non sinit, sub hac voce etiam comprehensos fuisse pisces, quos cibis lautissimis Veteres accensebant. Regula etiam tertiam portionem pomorum, aut nascentium in illo loco leguminum indulget. De die una tantum panis libra id est duodecim unciæ, sive tempus unius, sive duarum Refectionum sit, conceditur. In potestate Abbatis sit, aliquid addere, si supervenerit labor solito

lito major. Pueris non eadem dabitur Sæculum VI.
 mensura, sed minor. A carnibus qua- A. C. 529.
 drupedum omnes, exceptis infirmis, ab-
 stineant. Potus mensura omnibus per
 diem sit Hemina vini, id est, secundum
 explicationem verisimiliorem, medium
 congium, nisi labor aut calor amplius
 aliquid concedi poposcerit. S. Benedi-
 ctus illos, qui a vino abstinere poterant,
 laudat, & addit: *Licet legamus, vinum
 omnino Monachorum non esse, sed quia no-
 stris temporibus id Monachis persuaderi
 non potest, saltem non usque ad satieta-
 tem bibamus. Ubi autem ea est Regio-
 nis conditio, ut vinum non possit inveni-
 ri, qui ibi habitant, benedicant Deum,
 & non murmurent.*

Horæ Refectionis in hunc modum
 disponuntur. A Pascha usque ad Pen-
 tecosten ad sextam reficiant Fratres, &
 ad seram cœnent. Reliqua æstatis par-
 te diebus Mercurii & Veneris jejument
 usque ad Nonam, nisi agrorum labores,
 aut fervida tempestas eos perturbet.
 Aliis diebus ad sextam prandeant. Ab
 Idibus Sept. usque ad Caput Quadrage-
 simæ semper ad Nonam prandeant, in
 Quadragesima vero ad Vesperam; ita
 tamen temperetur hora, ut lumine lu-
 cernæ reficientes nunquam indigeant.
 In illa Italiae Regione, ubi S. Benedictus
 degebat, nunquam tardius quam media

Sæculum VI. quinta sol occidit. Tum S. Benedictus

A. C. 529. Monachos exhortatur ad peculiarem in

c. 49.

c. 38.

Quadragesima abſtinentiam, ſi modo cum
Abbatis conſilio id fiat. Ad menſam ſe-
dentibus liber prælegatur, & Lector non
ſecundum Fratrum ordinem, ſed talis
eligatur, qui ad implendum munus a-
ptus ſit.

c. 35.

Monachi ſibi iſtis invicem miniſtra-
bant, ſinguli vice ſua per unam ſeptima-
nam coquinariam exercebant. Inde
demonſtratur, quam ſimplici cibo uſi
fuerint, quem unusquisque iſorum ap-
parare poſſet. (*) Maxima infirmorum
erat

(*) In Monasterio Boni Solatii in Thuſcia
prope Florentiam, quod eſt Trappenſium Co-
lonia, ſi Feſtum S. Patris Benedicti in Quadra-
geſima in talem diem incidat, qua Monachis illis
Conſuetudo eſt in pane & aqua jejunandi, id
etiam Hoc Feſto ſine ulla Diſpenſatione ſtrictiſ-
ſime obſervant, & poſtquam in Choro longius
ac alias protracta eſt Pſalmodia, ad menſam in
ſolo pane & aqua heluantur. Sunt hæc verba
Defuncti Reverendiſſimi Abbatis Bartholomæi
Neuner, antea in Monasterio noſtro Ettalenſi
Profeſſi, in Epistoſa anno 1756. ad nos data.
Extremus profeſto eſt iſtorum Itatorum rigor,
ſi non nimius. Econtra ad alterum Extremum
deſſectitur in noſtra Germania, optandumque
eſt, ut in ejuſmodi Feſtis, quæ ſolemnius cele-
brantur, ſecundum SS. Fundatorum Spiritum,

erat cura. In loco separato manebant, Sæculum VI.
& unus fratrum ipsis famulabatur. Car- A. C. 529.
nes ægrotantibus ministrabantur, & con- c. 36.
cedebatur lavacrum, quoties opus erat,
sanis autem & præcipue juvenibus bal-
nei usus raro concedebatur.

§. XVII.

Vestes &c.

De vestitu Monachorum Abbatis erat
decernere pro diversitate Climatis
calidi aut frigidi. *Credimus*, inquit
S. Benedictus, *in Regionibus temperatis* c. 55.
sufficere Cucullam & Tunicam, Cucullam
in hyeme villosam, in æstate puram aut
vetustam, & scapulare propter opera.
Hoc vestitu a longo jam tempore pau-
peres incedebant, & Ruricolæ.

S. Benedictus indumentorum nec
colorem præscribit nec longitudinem,
quam haud dubie ejusmodi esse oportebat,
ut commode laborare possent. Sca-
pulare latius erat & brevius quam ho-
die, habebatque Capitium; nempe Sca-
pulare erat indumentum exterius, cum
laborarent, illudque deponebant deinde,
ut reliquo diei tempore Cucullam gesta-
rent. Singuli habebant duas tunicas,
F f 3 &

tam de Conviviorum prolixitate, quam de obso-
niorum multitudine & lautitia non nihil demeretur.